



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Excurrit ad rusticos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

*Excurret ad
rusticos.*

Cœnobia Virginum, vt confessarium, vt cohortatorem, vt magistrum pietatis impetrarent: duobusq; præcipuis concedendus certum in tempore fuit: & tamen amplissimæ illi caritati, quam uis tot referta laboribus, angusta Vienna erat. Ad pagos etiam, & agros extulit sese. Per natalitias ferias frequentem in pagum, miseratus mortalium solitudinem longam iam diem Pastore carētium abiit. Ingentem reperit in promptu messem. Hoc ille auidius expedire falcem. Visere ægrotos, & consolari, cogere in sacram ædem puerilem manum, & instituere; quotidiana concione agrestibus instituendis, & adhortandis insistere, promptas omni tempore aures offerre peccata sua prominentibus, nihil non moliri, quod & in præsens, & in posterum utile animis, & religioni foret. Fuit nonagenarius senex, qui instar Simeonis gestire factam sibi tandem copiam talis viri, de cuius manu diuino Christi corpore pasceretur. Hac quasi velitatione tentato campo, caritatisque stimulato impetu Christi bellator in aciem iustam 1553. per magni ieiunij tempus processit. Plurima erant Austriae loca destituta sacerdotibus. Quippe supra trecentas Parœcias omnino viduas numerabant.